



ZEIT, MOS8, MAM, 73

AD  
SOLENNES EXEQUIAS,  
VIRI  
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI  
**DN. FRIDERICI**  
**PETRI NAUMANNI,**

J. U. D.

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI  
ELECTORIS BRANDENBURGICI

Rerum Venaticarum in Prussia & Commissionum  
CONSILIARII,

Illustrum, Supremi & Aulici, Judiciorum  
ADVOCATI,

C I V E S S U O S

INVITAT


**RECTOR ET SENATUS**  
**ACAD. REGIOMONTANÆ.**



**REGIOMONTI,**

Typis FRIDERICI REUSNERI, SEREN. ELECT. BRANDENB.  
ET ACAD. TYPOG. HÆREDUM.

112



*Ntiquissimum & communissimum acquirendi genus Venatio; Pleraque enim animantium ut nata, ut gressus formare docta, ut robur nausta, venantur solicito; aliis herbæ & sponte nascentia in prædam cedunt; hoc florentem cythisum sequitur capella: aliis ipsa prædabunda, præda fiunt animalia; hoc torva leæna lupum, hoc lupus ipse capellam sequitur. Homo quoque ab ortu suo venando quicquid est temporis consumit: Si vita est silva; in horrida fvavem morum elegantiam, in aspera mitem ingenii culturam, in jugosa ardua virtutum decora venatur. Si vita est saltus; in invio industriæ parat viam, in latebroso ignaviæ latibula detegit, in vasto errores vagos cingit indagine. Sit vita palus; ex cœno pravorum colloquiorum emergere; ex limo tenacium illecebrarum se expedire; ex uligine alta vitiorum eluctari, hoc labor, hoc opus est humani venatus. Sit vita nemus; inter recessus curiositatum seqtatur seria; inter blanditias fortunæ prospicit adversis; inter amœnitates honorum modestiam meditatur. Lucus denique esto vita; in inaccesso sapientiæ aditum, in formidoloso redi conscientiā, in nubilo clarum mentis lumen investigat. Adeò Venando occupatur humanum genus, tanto magis in hoc studio desudans, quanto plus exinde gloriæ aut usūs ad se & Patriam redditum confidit. Schola quippe Heroicarum Virtutum merito habetur Venatica: Hæc Hercules, hæc Cyros, hæc Mithridates, hæc Alexandros ad tot tantorumque laborum tolerantiam induravit; Hæc ex arena consilium capere magis quam Circus docuit; Hæc non minus quam Mavortia castra exercitatos reddit: Famem, sitim, frigora, æstus inter delicias hæc Generosis commendat: Hæc insultus ferarum irretorto vultu excipere; hæc fugientes persequi, ferire & sternere; hæc latentes indagare, laceslere & circumvenire monstrat.*

*Hæc*

Hæc Lacedæmoniorum Respublica tamdiu stetit; Hæc  
Persæ quondam terrarum Domini redditi. Omniaque  
paria cum bello habet *Ludus Venaticus*, Virorum militarium  
genuinum Gymnasium; in quo æquè artis est, ferarum  
ac hostium indolem, versutiam, & vehementiam digno-  
visse. Quamvis non ferarum Venatio sola nobilitet, cum lon-  
gè illustrior ista sit, quâ vitiorum insidias evitamus, animi  
motus compescimus, corpus rationis imperio in obse-  
quium assuefacimus, mentem in insatiabilem sapientiæ  
cupiditatem excitamus. Hæc est illa venatio, quam XE-  
NOPHON inventum Deorum prædicat; quâ Chironem  
ab *Apolline* & *Diana* ornatum asserit: quâ quicquid fuit,  
Discipulorum Chironis, omnes ad summos honores  
grassatos refert. Neque curiositas in alendis canibus so-  
lum, aut in inseständis feris, hos supra communem for-  
tem cæterorum mortalium evexit, sed magis, quod præ-  
claris inventis ac disciplinis præclarè de genere humano  
meriti fuerunt; Prudentiæ & scientiæ studiis rudiiores &  
imperitos animos informando. Inter Venatores enim  
HIPPOLYTUM rectius recenset, quod incestos amores  
novercæ effugerat, quod Pietatis & Pudicitiæ laudem.  
venatus fuerat, quam quod doctâ manu feras ferire de-  
stinatò noverat: Neq; MACHAONIS & PODALIRII  
minor, ipso judice, ex artibus quibus sanitatem militum  
sunt venati, quam ex fortiter in bello Trojano adversus  
hostes gestis gloria fuit: NESTOREMq; & ULYSSEM  
venando consilioruni & eloquentiæ efficacem usum tan-  
tum beneficiorum in Græciam contulisse, quā Achil-  
leum ac Agamemnona bella gerendo manusque confe-  
rendo cum hostibus: ut *Melanionem*, *Ampbiaraum*, *Peleum*,  
*Telamonem*, *Meleagrum*, *Theseum*, *Palamedem*, *Menestheum*, &  
alia inclyta Græciæ nomina mittam, quibus summam  
voluptatem & gloriam fuisse scribit, præter fortitudi-  
nem, & temperantiam, & justitiam, & liberalitatem & re-  
liquas virtutū venustates assiduis meditationibus & labo-  
ribus

dqj

ribus venari. Ipseque XENOPHON non postremus memorabilium Venatorum, incertum de se relinquit, quo venatu majorem gloriam indeptus fuerit , tantâ artium, virtutum, & scientiarum cum fortitudine belli- ca mixturâ, ut æqualitas difficilem electionem reddat. *Venantibus* autem ista omnia, in silvis, in saltibus, in palu- dibus, in nemoribus, ac lucis, in artibus, in togæ & sagi Virtutibus, in Scientiis, *mortalibus* Mors retia & pla- gas tendit, ipsaque *venatrix* vaferrima speculatur, ut ir- retiet, ut propellat, ut percellat, ut dejiciat: *Plagas* ex latè primorum Parentum mortalis conditio necit; *in- sidias* struunt tot casus, tot rerum discrimina; innumeræ curæ, anxietates assiduæ rerum humanarum, animos exagitant; imbecillitatis conscientia, terror hostilis vio- lentiæ inclinant; corporis langvores, morborumque in- gruentia agmina prosternunt: prædaque æternæ mor- tis occubuisset homo, ni *salutis humanæ venator* CHRISTUS morte sua *Mortis venabulum* elisisset, *retia* & *plagas* perru- pisset, *prædamque* orci faucibus eripuisse. Eodem tra- mite & *Viri Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi* DN. FRI- DERICI PETRI NAUMANNI, J. U. D. Sereniss. & Potentiss. Elect. Brandenb. rerum Venaticarum in Prussia, & Com- missionum Consiliarii, Illustrium, Supremi & Aulici, Judiciorum Advocati, vita venando decurrit. *Venatus* enim à tene- ris Pietatis, morum, & literarum laudes; *Venatus* Paren- tum, Amicorum, & Doctorum amores; *Venatus* Patro- norum, Procerum, Principum gratias: benèque meren- do de bonis, de clientibus, deoque republica *venatus* est summam gloriam. Venantiique ut favit successus, ut fa- vit fortuna, ita mors indignata est & invidit, medioque in cursu insidias disposuit. Quam indignationem & in- vidiam mortis ipse facilimè vicit, superatis insidiis, ad vulnera CHRISTI, tutissimum refugium, sanctissimum. asylum, imperturbato animo ubi se recepit; inibi cum fidelibus omnibus opimis spoliis post venatus humani molestias æternum fruens. Natale solum Lunæburgum ipfi

ipſi obtigit, quæ editum in lucem Anno 1645. d. 25. Octob.  
ſuſcepit, PATRE, Viro Maximè Reverendo, Ampliſimo, Cla-  
riſimo, DN. M. JOHANNE NAUMANN, Superinten-  
dente gravifimo & meritisimo Comitatū Brunsvico-Lunebur-  
gensis Diepholtz: MATRE, Nobilissima atque Matronali-  
bus Virtutibus Prælustri & Ornatisima Domina CATHARI-  
NA DOROTHEA Langin, Viri Plurimū Reverendi atq;  
Clarissimi DN. M. DAVIDIS LANGII, Pastoris ad ædem  
S. Nicolai Luneburgi, Filia. Quibus Parentibus Optimis  
ortus Ecclesiæ Baptismi Sacramento consecratus est illi-  
co; quoque maturius ferret disciplinam, maturè Lune-  
burgensi Principali Scholæ ad Divum Michaëlem liberaliter  
educatione & doctrina puerili instituendus traditus; Ce-  
leberrimi Historici & Geographi JOHANNIS BUNONIS,  
Rectoris t.t. manuductione ingenii docilitatem juvante,  
Carissimique AVI curâ igniculos generosi pectoris fo-  
vente & alente. Atque ut surgunt in ortus fuos ocyus  
generosa semina, præsertim si cultura ipſa excitarit, in-  
dolis ejus virtutes diu latere non poterant; quâ ardore,  
quâ industria, quâ obsequio, quâ honoris æmulatione,,  
quæ ipſi pro necessitate erat, validiorque quam pœna  
& disciplina Scholaſtica aut metus repellebat ſegnitiem,  
*Magistrorum* quos ceperat aucupatus est benevolentiam,  
ut edito ſpecimine ſuſfragia omnium ipſi illustre Gymna-  
ſium ibidem locorum adeundi potestatem facerent, du-  
ctuque Clarissimorum Virorum DN. M. NOTTELMAN-  
NI, Gymnasii Inspectoris, DN. WEIERI, Licentiati, & DN.  
CLASENII, D. variâ Grammaticorum Polymathiâ exer-  
cito vigorem ac robur addiderunt Philosophiæ acriora  
monita, quibus animus ad majora formari cœperat. His  
quibus opibus instruētus hanc nostram ALBERTI-  
NAM Anno 1666. d. 15. Dec. salutavit, ut studiis severio-  
ribus ſolidam Prudentiam & Sapientiam acquireret.  
Nec deſtituit conſilium prosper eventus. Politicâ ſanè  
doctrinâ quām non vulgariter imbutus fuerit publica fo-  
lenni

lenni Disputatione frequenti Auditorio probavit: Quod  
verò ad *Jurisprudentiam* animum præcipuè appulisset, nul-  
lam occasionem in hâc scientiâ proficiendi præterlabi-  
sivit, ad *Excellentissimorum Professorum* lectiones publicas  
sedulus attendens salutaria præcepta altâ mente repo-  
suit, reposita domi depromsit, longiorique meditatione  
subinde revolvit. Famigerabilis tamen maxime & ele-  
gantissimi J.Cti DN. THEODORI WOLDERI, f. u.D.  
& Professoris Primarii præcipuâ operâ ac familiaritate u-  
sus, hujus dexteritate ac prudentiâ in docendo se mul-  
tum profecisse gratus agnovit, eidemque lætos studiorum  
successus acceptos retulit. Factumq; istâ assiduitate labo-  
rum, ut morum atque eruditionis fama ad *Illustrem, Gene-*  
*rosissimum ac Excellentissimum* DN. AB HOVERBECK,  
S.R.I. Lib. Baronem, Serenissimi Electoris Brandenburgici Con-  
siliarium intimum, & sacro legationum munere toti orbi toties ve-  
nerabilem, penetraret. Magnusq; HIC ingeniorum, vir-  
tutumque æstimator, ac judex, dignum habuit cui curam  
Generosissimorum Filiorum crederet. Quæ res BEA-  
TO NOSTRO felicissimè cecidit, non tam illo, quod  
dum tales doceret se ipsum instrueret; quam quod quæ  
ex umbratili Philosophiâ dogmata hauserat, suis colori-  
bus radiantia vivacia civilis vitæ caperet experimenta:  
Siquidem qvum PHILIPPO maxima egregiæ indolis incre-  
menta dedisse traditur, quod Thebis triennio obfes habitus, prima  
pueritiæ rudimenta, in urbe severitatis antiquæ, & in domo Epa-  
minondæ Summi Philosophi & Imperatoris depositus; næ summos  
in gerendâ recte vitâ profectus NAUMANNUM bonæ  
fortunæ dicamus debuisse, quæ in Illustrissima domo ru-  
dimenta actionum publicarum deponere dedit. HO-  
VERBECKIUS enim omnibus aulæ, belli ac togæ, doti-  
bus, ingeniique ac studiorum eminentissimus seculi sui, qui  
nihil in vitâ nisi laudandum aut fecit aut dixit ac sensit;  
vigore animi acerrimus, magnitudine cogitationum, ce-  
leritate agendi, patientia molestiarum & periculorum.

nulli

nulli secundus, somno & cibo in vitam semper non in voluptatem utens, arduis consiliis magna ausus, magnificè conata executus, apud hostes Virtutis, apud socios Prudentiæ, apud Patriæ Patrē Fidei, apud omnes Sapientiæ gloriam est consecutus. Hunc tantum Ducem natus, habuit semper unde disceret, ad cuius instar sua compone-ret. Quandoquidem & PER-ILLUSTRIS PATRONUS ipsum non raro in expediendis publicis negotiis duarum solennium Electoralium Legationum Varsaviæ per quatuor annos adhibuit, sive Regiæ Majestates devotè adeundæ, sive Senatores utriusque ordinis, sacri & secularis, officiosè salutandi forent; ex voto PERILLUSTRIS DOMINI LEGATI Noster creditis muneribus sedulo & bellè est defunctus, meruitque ut egregium laborum actorum à tanto Viro testimonium auferret. Benigne itaque à PERILLUSTRI DOMINO BARONE AB HOVERVECK dimissus, Regiomontum redux CELSISSIMI AC ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS ET DUCIS DE CROY, Gubernatoris Prussiæ felicis memoriæ, commendatitias impetravit, quibus apud SERENISSIMUM ELECTOREM gloriose memoriæ, ut Consiliarius Commissionum destinaretur, obtinuit. Quam spartam ut ornaret, Summos in Facultate Juridicâ honores appetens, Gryphiswaldiam adiit, & præstandis præstitis, inaugurali Disputatione sub Præsidio Celeberrimi Antecessoris D. JOHANNIS POMERESCHII, t.t. Decani, anno 1673. ult. Novembris, editâ, eosdem est adeptus. Quum ita secundi atque prosperi quique effluxerant dies, desiderio vi-sendi Parentes, & amplectendi amicos Patriam repetiit. Neque tantum voluptati dedit illud iter, sed & usui, quum præter Electorales, plurimorum Serenissimorum Principum aulas hac occasione inviserit. Reditus tandem Prussiæ, concessò indulgentissime à SERENISSIMO ELECTORE munere Consiliarii justè defuncturus, simulque Judiciorum, Supremi & Aulici, Advocatus, Juramenti Sa-

1673. ult. Novembris, editâ, eosdem est adeptus. Quum ita secundi atque prosperi quique effluxerant dies, desiderio vi-sendi Parentes, & amplectendi amicos Patriam repetiit. Neque tantum voluptati dedit illud iter, sed & usui, quum præter Electorales, plurimorum Serenissimorum Principum aulas hac occasione inviserit. Reditus tandem Prussiæ, concessò indulgentissime à SERENISSIMO ELECTORE munere Consiliarii justè defuncturus, simulque Judiciorum, Supremi & Aulici, Advocatus, Juramenti Sa-

camento

cramento suam fidem obstrinxit. Matrimonium An. 1674.  
d. 3. Septembr. iniit cum Nobilissimâ atq; Spectatissimâ Virgine  
ANNA REGINA, Maximè Reverendi, Amplissimi atque Cla-  
risimi DN.B. CHRISTIANI COLBII, SS.Theol.D. & Ec-  
clesiarum Bartensteinensium Archi-Presbyteri, filia, privignâ  
Nobilissimi, Consultissimi atque Amplissimi Nominis Viri DN.  
JOHANNIS DIETERICI KÜHNEMANNI, Sereniss.  
& Potentiss. Electoris Brandenburgici rerum Venaticarum in  
Prußiâ Consiliarii; Atq; socero, cum quo ipsi optimè con-  
venerat, cui & de benè liberaliterq; educata atque edu-  
cta Uxore admodum erat devinctus, jussu superum  
ad plures abeunti Successorem ipsum SERENISSIMI  
ELECTORIS gratia constituit. Quomodo se gesserit  
in Vita Civili erga Summos, medioxumos, imos; erga Pa-  
tronos, clientes, amicos; erga honoratissimam *Socrum*, af-  
finem & domesticos, non nostrum erit eloqui, qvum tot  
supersint monumenta. Cum conjuge amicissime septen-  
decim ferè explevit annos, octo liberorum Parens, qua-  
tuor filiorum, filiarumque totidem, ut tamen utriusque  
sexus partem mors carpserit prior. Morbus ipsum non  
uno iectu prostravit: ante novem menses pedes invaserat  
erysipelatis specie, frustra omnibus remediis tentatis,  
cum nova subinde emergerent symptomata: d. 25. Jan.  
anni currentis, tristibus ipsum deliquiis fermè attonitum  
reddiderat; licet ope medicaminum recreatus fuerit, ut  
sacrâ synaxi ad mortis horrores imperterritò animo su-  
stinentos muniretur: Verum recidivam ejusmodi fera-  
lium deliquiorum ac peremtoriorū passus d. 27. Februarii,  
ad alterum diem usque vitâ ægrè ductâ, tandem placide  
exspiravit, JEsu dulcis dulci memoriâ, & invocatione  
suavissimâ vitæ actus obsignans. Summa annorum qua-  
draginta quinque, quatuor mensium, dierumque qua-  
tuor, confectâ. Exequialia autem dum justa hodie Moe-  
stissima Vidua sit celebratura, supremum defuncti hono-  
rem ut vestrâ frequentiâ augeatis est quod rogamus.

CISWEGE

P.P. d. 11. Martii Anno 1691.

